Discursus super oratione Dnn. Legatorum Danicorum habita in consessu Ordin. general. Foederati Belgii Hagae Comitis 10 Jan. 1660.


Blau Blumen [illegible]

DISCURSUS
SUPER
ORATIONE
Dnn. Legatorum
DANICORVM
HABITA
IN CONSESSV
Dnn. Ordinum Generalium Fæderati Belgii
Hagæ-Comitis,

Die 10. *Ian.* ANNO 1660.

39.





B

B E



minu
nec ip
abject
degen
ipsi su
sus ca
Rex u
merci
quissi
quadr
ipse, n
tempo
positur



PRAELOQUIM

BELGÆ INCLYTISSIMI,



On tam odio in Danos, quàm amore in veritatem & in Vos isthæc scripsi. Non parum enim piget pudetque, tam simplices Vos à Danis haberi, quos undique conquisitis figmentis ita illudant, quò pecuniis vestris ad vesanam suam pervicaciam abutantur, bellisque non necessariis in commodum inplacabilis vestri hostis Vos atterant. Quorum criminum Suecos reos peragere satagunt, iis ipsi tenentur. Quod nec ipsi negare auderent, nisi dudum frontem amisissent. Iam abjectissimè Dani in angustiis destituti adulantur, & insipida ac degeneri laudatione palpum Vobis obtrudere laborant. At illi ipsi sunt, qui initia Vestræ Reipublicæ, qui incrementa & successus cane pejus & angue nunquam non oderunt; quorum defunctus Rex ut partibus Hispanicis addictissimus, ita à Vobis alienior commercia vestra in mari Baltico non semel turbavit. Cujus iniquissimis oneribus declinandis, postquam cum Regno Sueciæ anno quadragesimo hujus seculi fædus arctissimum ineundũ censeretis, ipse, ne invitus ab injuriis temperare cogeretur, Legatos suos eo tempore in Hispaniam misit, inde auxilia contra Vos sibi circumpositurus. Et quis præstabit, Belgæ, Vos à Danis meliorem relaturos

turos gratiam, quam Sueci, qui, quod meritos perire cum possent perdere, conservare per humanitatem maluerunt, nunc ea animorum acerbitate in se rapi vident, ut propria ruina ipsorum perniciem redimere velle videantur. Sed ista multis ut admoneamini opus non est. Ipsi pro prudentia vestra facile perspicitis, Danos in adversis serviliter abjectos, paulum adspirante fortuna per insolentiam intolerabiles, pro beneficiis odium reposituros, postquam ipsis amota præsens necessitas ingenium suum iterum exserendi audaciam faciet.

Mirum

Mirum sane nemini videri debet, Sereniſſimo Suecorum Regi à consanguineo, Fœderato, & iisdem ſacris utente Dano temerè illatum bellum, licet Rege Galliarum Chriſtianiſſimo & Magnæ Britanniæ Protectore intervenientibus pace perpetuâ *Roſchildiæ* ſopitum videretur, ſemeſtri vix elapſo denuò recruduiſſe, niſi quem circa rerum geſtarum ſeriem, fraudeſque Danicas, & infenſiſſimum in Suecos odium craſſa ignorantia tenet occupatum. Quanquam enim ſincerisſimus quiſque & ex ſuopte ingenio reliquos æſtimare ſolitus ſibi firmiter perſuaſerat, fore ut pax iſta amiciſſimo illo, tenerrimique affectus pleniſſimo duorum Septentrionis Regum *Fridericiburgi* inſtituto colloquio firmisſime ſtabiliretur, & ſi quid rancoris forſitan & diffidentiæ reſtaret, penitus eradicaretur; præſertim cum inſignibus adeò à Rege Sueciæ beneficiis affecti Dani (quippe quibus duorum Regnorum jacturam paucarum tantùm Provinciarum, & quas aliâs non ſine Suecorum injuria poſſederant, redimere licuit,) ſibi gratulandi, Sueciſque gratias agendi cauſam gravisſimam haberent: in tantum tamen valuit innatum genti in Suecos odium, aliorum ſuggeſtionibus inflammatum, ut omnimodæ Regnum iſtud ruinæ involviſſe, proque gratia exitium repoſuiſſe inter arcana ſtatus Danici duceretur.

Et bellum quidem iſtud uti non ſine juſtiſſimo Divini Numinis judicio infelix & exitioſum Danis extitit, ita uſque adeò ſine omni juris colore ſuſceptum fuit, ut merito dubites, an quis unquam impudentius injuſtitiam cauſæ ſuæ velut nudam in conſpectu Orbis fuerit apricatus. Tantum enim abeſt ut Sereniſſimus Suecorum Rex ullum hoſtilis in Danos animi ſignum unquam ediderit, ut potius cum bello accingeretur Polonico candidum animi ſui affectum per literas Danorum Regi aperuerit, voluntatemque in eo permanendi ſanctè fuerit conteſtatus; ad quas publicæ à Sereniſſimo Rege Daniæ literæ ſinceræ amicitiæ ſignificationem præferentes, & felicem belli ſucceſſum optantes repoſitæ. Quod verò eundem animum durante & fervente bello Polonico conſervaverit, vel exinde clariſſimè apparet, quod nihil magis in votis habuerit, quam arctiore cum Danis fœdere jungi, eumque in finem Miniſtrum ſuum Hafniæ aliquoties plenis mandatis ad id ineundum inſtruxerit. Et quis quæſo adeò demens ſit ut credat, Sereniſſ. Regem Sueciæ tempore cœpti belli *Danici*, media in Polonia longiſſimo à Dania intervallo hærentem, cum hinc Moſchus in Livonia crudeliſſimè graſſaretur, inde potentiſſima Domus Auſtriaca jam hoſtilia meditaretur, quos coërceri, aut intra primos conatus ſiſti quã maximè ipſius intererat, de bello Danis inferendo cogitationẽ ſuſcepiſſe?

 Quam

Quam convenienter verò obſoletum illud & putidum carmen circa defraudationem vectigalis *Oreſundici*, Regi *Sueciæ* occinatur, ſane haut apparet. Equidem à quibuſdam populis fretum *Oreſundicum* tranſeuntibus jus vectigalia exigendi per conventionem aliquam Danis fuiſſe quæſitam in propatulo eſt; verum Sueci libertatem hic ſuam conſtanter adſerentes, nunquam iſti ſeſe ſervituti voluerunt ſubmittere; ac per ipſam naturam fas ſemper judicarunt, quod nullo jure poſcebatur detrectare. Enimverò ut occaſione iſtius libertatis Danos defraudarent ſubditi Sueci, nec S. R. M. Sueciæ unquam juſſit aut adprobavit, neque vel tantillum lucri exinde percepit.

Quin potius, quod ipſi Dani norunt, ut omni fallacia abſtinerent ſubditis ſuis per publica mandata ſeverè injunxit, nec recuſavit, quo minus convicti pœnas condignas darent. Nec verò commerciorum in Suecia incrementa inter defraudationes vectigalis ſui numerare Dani poſſunt, niſi eadem opera ſeſe ante pacta *Bromſebröenſia* commerciorum turbatores extitiſſe fateantur. Cujus manifeſtiſſimum indicium eſt, quod illa ſtatim eſſloreſcere deprehenſum fuit, poſtquam iniquiſſima veſtra onera excuſſerunt. Quo ipſo fine tunc temporis Fœderati Belgii Ordines arctiora cum Suecis fœdera inibant, ne Danis, dum innoxium per mare tranſitum iniquiſſimè imputant, pro libidine turbandi commercia facultas relinqueretur. Quod verò Sueci in eo Danis injuriam fecerint, dum ipſimet naves ſtruere & mercaturam melius exercere cæperunt, poſtquam iniquis exactionibus veſtris frena fuerant injecta, vix cuiquam perſuadebunt Oratores noſtri, niſi illud prius probaverint, nefas eſſe vicinis ſuis jure ſuo uti, & peccare eoſdem ſi, quas terra ſua mercimonias profert, propriis navibus exportent, etiamſi indebito Danorum lucro inde aliquid decedat. Quod ſi tamen omnino vectigalium defraudationem pro cauſa belli allegare volebant, imprudens certe erat coram Hollandis querelam ea ipſa de re inſtituere. Quæcunque enim heic intervenerunt fraudes, quarũ nonnullas forſitan interveniſſe non adeo præfracte inficiari libet, per ipſos Hollandos fuerunt exercitæ, quorum plurimi, qui aliorum ſcilicet Hollandorum negotia gerebant (vulgo Factores vocant) poſt pacẽ *Bromſebröenſem* in Suecia jus civitatis acquiſiverunt, eò quod hac ratione à vectigalibus *Oreſundicis* redderentur immunes. Hi ſi quandoq; exigua juramenti ratione habita alienas merces pro ſuis fuerunt profeſſi, Regis utique Sueciæ nulla in eo culpa eſt. Et ſane iniquiſſima foret Regum & Principum conditio, ſi ipſi præſtare cogerentur quaslibet fraudes & vectigalium eluſiones, quibus gens iſta Mercurii Numen adorans in-

veniendis nimis quam ingeniosa est, aut si istæ pro justis allegari causis, cur bello peterentur, possent.

Quæ præterea de duabus Paræciis in Norwegia Irne & Jerne afferuntur, dudum sunt explosa. Cedebatur enim Regno Suedico per pacem *Bromsebroensem*, *Jemptia* cum vicinis locis *Herrendalen*, quæ sic determinantur, ut sub istis contineretur omne quicquid citra montem Fielles ad latus Suedicum situm esset. Jam autem nec ipsi Dani negare possunt, duas istas Paræcias hoc districtu contineri. Quid mirum ergo Suecos easdem retinuisse, præsertim cum in executione pacis *Bromsebroensis* ab ipsissimet Commissariis Danicis fuerint traditæ. Ne tamen conquerendi ansa Danis suppeteret, Serenissima *Regina Christina* non solum in Conventum quo ea causa disceptaretur, libentissime consensit, sed etiam cum colloquio destinatus dies à Commissariis Danicis non obiretur, alium insuper Conventum per *Hafniæ* Residentum Ministrum suum obtulit. Verùm Cancellario Regis Daniæ *Christiano Thomæo* adeo exigui momenti res visa est, ut operæ pretium non judicaret, laborem in eam rem ulterius inquirendi sumere. Nisi forte ideo istud factum, quod metuerent Dani ne si in rem præsentem ventum fuisset unam adhuc Paræciam, quæ itidem cis montes sita est, Suecis vi pactorum tradere cogerentur. Et tamen tam futilia inter causas belli recensere non erubescunt.

Quæ deinceps circa impositionem novorum vectigalium, quibus commercia in mari Baltico fuerint turbata proferuntur, vix satis apparet quo collimen t. Equidem eo arrogantiæ Danos processisse, ut quæ vectigalia Rex Sueciæ in suis portubus exigere debeat, præscribere præsumant, vix nobis sit verisimile. Etsi etiam hac in parte ita potestate sua usam S. R. M. arbitramur, ut nemo justam de ea querendi causam habeat. Quod si autem illa vectigalia perstringunt, quæ Classis Suedica anno 1655. à navibus *Gedanum* tendentibus & inde redeuntibus exegit, mirum profecto videtur modernum Daniæ Regem reprehendere id, quod parens ipsius *Christianus Quartus* publicis Diplomatibus regnante *Gustavo Adolpho* gloriosissimæ memoriæ adprovarit. Cum enim hic cum Rege Poloniæ in Prussia anno vigesimo octavo hujus seculi bellum gereret, & inter cætera itidem naves *Gedanum* euntes vectigal posceret, non solum *Christianus Quartus* illud non improbavit, sed & Programma Regis Sueciæ hac super re *Helsingoræ* affigi permisit, suo quoque adjuncto, quo ipse multam iis minabatur, qui istud vectigal non solvissent. Ne dicam quod incivile videatur, ejusmodi res pro causis belli apud Belgas proferere, cum hi ipsi durante bello Hispanico cæterorum omnium commercia ad por-

tus

tus Flandricos etiam obſidione nulla cinctos prohibuerint, licet ipſi ſuis poſt hominibus licentiam certæ pecuniæ ſumma redimentibus ad loca hoſtilia commeare permiſerunt.

Nec verò cauſa erat, cur Dani peculiariter urbis *Gedanenſis* tutelam ſuſciperent. Nam in pactis *Bromſebröenſibus* hactenus duntaxat ejus civitatis mentio fit, ut ſi quid iſto in bello in alterius partis fraudem fecerit, remittatur, atque oblivione perpetua ſepeliatur, quæ ſatis clare articulo quadrageſimo ſecundo ſunt expreſſa. Nequaquam autem Danorum erat impedire velle, ne S. R. M. jus ſuum contra eam urbem, quæ membrum hoſtilis Regni conſtituebat, & oblatam toties Neutralitatem præfractè ſemper reſpuerat, modo legitimo perſequeretur; multo minùs pro legitima belli cauſa anno quinquageſimo ſeptimo allegari poterat, quod toto biennio ante à navibus *Gedanum* tendentibus per aliquot tantùm hebdomadas exactum quidem, ſed omiſſum poſtmodùm erat vectigal; maximè cum anno quinquageſimo ſexto Belgæ Fœderati Legatis miſſis nova cum Suecis fœdera *Elbingæ* pepigiſſent, quibus omnes iſtæ controverſiæ removebantur, & præterea urbi *Gedanenſi* de ſecuritate ſatis ſuperque cavebatur. Verum enimverò poſtquam Dani claſſe ſua *Gedanum* miſſa S. R. M. Sueciæ laceſſere non dubitaſſent, & nondum ſatis ea re Suecis ſe nocuiſſe arbitrarentur, dignum ſane animo Danico viſum fuit, fidem haut perfunctorie violare, &, pari injuriæ turpitudine, aperto potius bello perniciem ipſis intentare, quàm obliquis velut ictibus lædere. Cui bello per publicam denunciationem nihil juſtitiæ acceſſit, niſi quod cum pompa aliqua expromere perfidiam ſuam Dani magnificum judicarunt. Iſtas tam præclaras belli ſui cauſas, quas ipſimet Dani in pacificatione *Roſchildenſi* condemnarunt, promiſſa libellorum de iis conſcriptorum ſuppreſſione; non ſine maxima impudentia noſtri Oratores ſummè juſtas nunc vocare non verentur. Niſi fortè tritum illud in animo habuerunt, quo ſummũ jus ſumma injuria dicitur. Sed ne recoctã tantum crambem appoſuiſſe videantur Oratores noſtri, ſingulare aliquod arcanum, non ſine Divini Numinis providentia ipſis manifeſtatum in *Bataviam* afferunt, ex quo inſignem aliquem colorem injuſtiſſimis ſuis factis mutuari inſtituunt. Illud eſt Inſtructio Miniſtro cuipiam Suedico menſe Aprili Anno quinquageſimo ſeptimo data, in qua conſilia Serenisſimi Regis Sueciæ, ſi à Danis bello peteretur, uberius exponuntur. Ubi ſatis mirari non poſſum extremam Noſtrorum Oratorum impudentiam dicam an impietatem, qui per ſingularem providentiam Divinam in manus ſuas perveniſſe dicunt Inſtructionem quam dum Legati Suedici Scrinia, non abſque fœda juris

gentium

gentium violatione *Haffniæ* diripuerunt, inter cætera Legati ſcripta invenerunt. Cujus facti turpitudo eo magis moratiorum gentium indignationem, ſive potius deteſtationem merito incurrere debet, quod cum Ser. Rex pro liberanda legatione Suedica tres Senatores Danicos captivos, Regni ſcil. Archithalaſſum & Cancellarium, ut & unum ex primariis Senatoribus, *Hafniam* cum omni ſupellectile mittendos ſua ſponte obtulerit, & eorum quidem duo, (tertius enim ob infirmitatem corporis cum qua conflictabatur, itineri ſe committere non audebat) eò pervenerint; Dani tamen Legatum *Bielckium* quidem cum quibuſdam bonis ſuis liberum dimiſerint, alterius autem Legati, ut & cæterorum qui in comitatu erant, ſupellectilem omnem contra expreſſam conventionem retinuerint, & ut vel lucrum aliquod captarent, vel ex eorum ſchedis factis ſuis colorem forſitan aliquẽ indagarent, diripuerint. Verumenimverò infirmum cauſæ ſuæ præſidium præbet Inſtructio iſta, eo quippe tempore ſcripta, ubi ſignum *Ottoniæ Fionum* in Comitiis Daniæ jam dum ante ſex hebdomadas ad bellum Suedicum erat ſublatum, & delectu militum Danicorum omnia perſtrepebant; ubi non de copiis quibuſdam ad defenſionem Regni neceſsariis, ſed de tribus exercitibus, minimum quadraginta millia hominum, & de occupanda *Stockholmia* cum omnibus Suecorum ditionibus, *Heroes* iſti Danici palam gloriabantur. Annon ſat cauſæ exinde ſuppetebat Ser. Regi Sueciæ finibus ſuis proſpiciendi, & cum Regni Senatoribus conſilia ineundi, quomodo imminentem iſtum à Danis ictum vel mediis amicabilibus, vel vi declinaret. Quod ſi Inſtructionem iſtam Oratoribus noſtris bona fide producere libuerit, toti Orbi adparebit, S. R. M. hautquaquam Daniam aggredi, ſed primum ictum expectare voluiſſe. Hoc tamen negare nolumus, Sereniſſimum Regem Sueciæ, ſiquidem Danos bello cum Suecis experiri libido caperet, ſibi de viribus ſuis id fuiſse polliſcitum, ut Deo adjuvante intra quatuor vel quinque menſium ſpacium Daniam evertere queat, modo loquendi militari, quo everti dicitur, cujus exercitus fugantur atq; diſſipantur. Id quod etiam egregie præſtitit, dum ſub finem Auguſti Jutiam ingreſſus, ſub initium Februarii invincibiles iſtos, uti jactabantur, exercitus maximam partem proſtratos intra mœnia Hafnienſia compulit. At verò quæ de delendis duobus Regnis antiquiſſimis, de extirpanda familia Regia ſplendidiſſima, de ſubjuganda famoſa Danorum Natione adduntur, Danici commenta ſunt ingenii, de quibus in dicta Inſtructione nullum veſtigium deprehenditur. Daniæ tamen & *Norwegiæ* Regna uti antiquiſſima eſſe non negamus, ita Danum inter potentiſſimos Europæ Reges numerari hactenus quidem apud nullum autorem deprehendere licuit; uti nec illud, ab omni ævo *Danorum*

fortitudinem Suecos ſenſiſſe, niſi illud fortitudinem dicere velint Oratores noſtri, *Danos* aſtutè admodum tempora fuiſſe aucupatos faciendo *Suecis* bello, quibus ipſi vel civilibus vel *Moſcoviticis* bellis impliciti ad repellendum ab altero latere ictum minus parati eſſent.

Sic eodem in *Suecia* rerum ſtatu, cum jam & *Moſchus* & *Polonus* & *Domus Auſtriaca* aperti hoſtes circumſtarent, hac vice fortitudinem ſuam oſtentare voluerunt, ſed *DEO* perfidiam iſtam taliter puniente, ut per maria viam *Suecis* ſterneret ad *Daniam* ruinæ involvendam. Hic ſufficiebat Sereniſſimo *Regi* veteres *Sueciæ* limites reduxiſſe, additis quibuſdam *Norwegiæ* locis ad ſecuritatem *Sueciæ* facientibus, ac firmiter ſibi perſuaſerat, tanta humanitate delinitos *Danos* religioſius in poſterum amicitiæ ſanctimoniam culturos. Sed contraria omnia eveniſſe conſtat. Quanquam enim S. R. M. *Sueciæ*, ſtatim atque per glaciem licuit, etiam nondum præſtita à *Danis* conditione, ſub qua promiſſio deducendarum copiarum facta erat, *Sialandia* exceſſerit, *Monam* inſuper, *Falſtriam*, *Lalandiam* atque *Langelandiam* Inſulas, (de quibus neſcio quid cornicentur Oratores noſtri, quod relictæ quidem fuerint, ſed non multo poſt occupatæ, cum tamen menſe demum Aprili anno præterito in *Suecorum* poteſtatem redactas in propatulo ſit) *Wenſiſulanam* inſuper Provinciam cum fortalitio *Hallenſi* reſtituerit, & ad omnia quæ reſtabant præſtanda paratiſſimam ſe exhibuerit: *Dani* tamen ad omnia quæ promiſerant, imò & ipſam *Scaniam* tradendam vi & minis erant cogendi, & ſimul atque *Suedicus* exercitus *Sialandia* exceſſerat, undique moras & effugia quærebant, & haut obſcuris indiciis prodebant, quâm parùm ipſis cordi eſſet reliquas pacis Leges implere. Qui enim *Suecorum* commoda provehere, damna avertere, & omnia in præjudicium eorum inita fœdera ejurare promiſerant, cum hoſtibus *Sueciæ* infenſiſſimis, Domo ſcilicet *Auſtriaca* & *Poloniæ Rege* palàm & ſecreto pernicioſa in *Sueciam* conſilia fovebant, & quos *Suecis* amicos adhuc eſſe noverant, variis artificiis labefactare laborabant. *Electorem Brandeburgicum* ad bellum *Suecis* inferendum & e *Jutia* illos eliciendum per Ablegatum quendam invitabant, & quæ ante Pacem *Roſchildenſem* in hoſtem communem, ut vocabant *Regem Sueciæ*, nondum ad finem perducta erant fœdera, poſt Pacem demum rata habebant, nihil aliud exſpectantes, quam ut *Sueci* aliis hoſtibus immixti nudum ſibi latus iterum præberent, quò in traditas Provincias denuò involare, easque *Suecis* extorquere poſſent.

Quantas circa *tertium articulum*, cujus vigore ad arcendam omnem peregrinam claſſem bellicam è *mari Baltico* tenebantur, difficultates move-

rint,

rint, quam multas elusiones finxerint, imò ut omninò id facere detrectaverint, *Suecorum* hanc ob causam in lucem emissa scripta satis testantur. Insuper *Suecorum* naves in *Oresundo* variis jam oneribus subjicere incipiebant, *Wenam* Insulam ut partem *Scaniæ* tradere initio renuebant, ad extremum etsi rationibus satis convicti tamen velut per vim sibi ereptam quiritabantur, quò novam belli materiem sibi seponerent. Idem committebant circa parvam illam præfecturam *Rumsdahliam* ad *Trundheimensem* ditionẽ spectantem. Variis itidem technis impediebant, ne Nobiles in *Scania* S. R. M. *Sueciæ* juramento se obstringerent : tres naves *Suedicas* sale onustas & ante declaratum bellum in freto *Sundico* fisco addictas, ut decebat cum oneribus, non restituebant, nec quas in *Guinea* insignes prædas egerat *Carloffius*, ut & alia post Pacem conclusam erepta bona. Quem in Lalandiæ Præfectura Alholmensi convexerant commeatum jure suo utentes Sueci, avehi non permittebant Dani, nec promissos bis mille equites tradebant, nec Vördam Bremensem præfinito tempore evacuabant. Captivorum etiam complures præstituto termino non dimittebant, ac circa militum alimenta infinitas movebant difficultates, de quibus tamen satis liquidè interCommissarios utriusque partis fuerat conventum. Quid multis? Ipsi Senatores Regni Daniæ quid super hac pace animi essent, haut obscurè significabant, quando ætatem eam ferre posse negabant, quod per vim metumque esset extorta.

Nec est quod Dani conquerantur, S. R. M. Sueciæ exercitum suum stato tempore non eduxisse, nec ex fortalitiis præsidia sua deduxisse, id enim ipsi procrastinationibus suis ut secus fieret non permiserunt. Et impudens erat deductionem exercitus prius postulare, quam omnes conditiones perfectè essent adimpletæ, quippe quæ virtute pactorum Roschildensium præcedere debebant. Et qua ratione Rex Sueciæ prima die Maii Fridericiuddam restituere teneretur, cum Vörda Bremensis eodem die à Danis evacuanda demum mense Iulio, & non nisi adhibitis minis de vi admovenda traderetur? Nec adeò tectæ erant Danorum machinationes, ut Suecis non suboluerit quid monstri alerent, scilicet ut metu remoto perfidiam quæ semel malè ipsis cesserat, nocentius repeterent.

Quam Oratores Nostri captivorum detentionem afferunt, nova nec hactenus ab ipsis audita querela est. Ac maximopere miror, cum hactenus omnes criminationum classes fuerint excussæ, nemo tamen tam felix fuerit, ut hic quid potuerit comminisci. Quamdiu enim Commissarii Suedici Haffniæ fuerunt, nemo unquam extitit, qui hac in parte contraventionis Suecos accusare ausus fuerit. Sed nunc demum video, quam

acutum cernant Oratores noſtri. Volunt Suecos vigore articulorum pacis obligatos fuiſſe, gregarios iſtos milites, quos in Ducatu Bremenſi & Fridericiuddæ ceperant, & ſacramento ſuo prius devinctos alio militatum miſerant, iterum dimittere. Enimverò conſuetudo communis militiæ nequaquam tales inter captivos numerat. Quanquam enim principium militiæ ipſorum quadantenùs violentum fuerit, poſtquam tamen turmis legitimorum militum immixti eadem munia ſubierunt, eo ipſo pro militibus, & non pro captivis amplius habentur. Unde nec reddere eoſdem tenentur Sueci, niſi circa illos expreſse cautum fuerit, quod tamen nunquam factum. Quæ denique Oratores noſtri de detentione commeatus bellici in fortalitiis Danicis in mediũ produxerunt, aut omnino figmenta ſunt, aut tum demũ contigerunt, quando hoſtilia denuo exercita fuerunt.

Cùm enim nulla emendationis ſpes ſupereſſet, & qui ad ſanciendum fœdus ab initio à Danis tantoperè deſiderati erant Legati Suedici Haffniæ dum executionem Pacis urgebant, nil niſi procraſtinationibus lactarentur, ut interdum per tres hebdomadas ab omni cum iis Tractatus commercio abſtineretur; & verò cuilibet emunctæ naris facilè ſubolèret, Danos nulla miſericordia civium ſuorum, qui interea dum ſtratagema iſtud moliuntur, ab exercitu Suedico non leviter premebantur, tactos, copias tantùm Auſtriacas & Brandeburgicas cum Polonis anhelare, non habita ratione quod dicti Legati minas aliquoties ſparſiſſent, Regem ſuum tot tantasque ſibi noxias artes æquo animo non toleraturum, Sereniſſimus Rex patientiam tandem abrumpere coactus cum exercitu in Sialandiam iterum appulit, Haffniamque verſus movit. Ubi quidem obviam habuit Ringſtadii duos Regni Daniæ Senatores ſciſcitaturos ab ipſo cauſam reditus; ſed quo animo erga pacem fuerint, vel exinde liquet, quod cum ipſemet Sereniſſimus Rex prolixè iis cauſas adventus ſui expoſuiſſet, nullam tamen declarationem obtinuerit, licet Commiſſarios ſuos in diverſorium eorum mitteret. Et quod mandatorum defectum cauſari poſſent, concedebat ipſis, ut mentem ſuam, & quomodo Regis Sueciæ ſecuritati melius quam hactenus proſpectum vellent, Legato ſuo Haffniæ commoranti aperirent. Enimverò unus Legatorum Danicorum Rege inſalutato clam aufugit, ambo verò Haffniam venientes cum Legato Suedico ne verbum quidem de mediis compoſitionis fecerunt, imò eundem quoque in cuſtodiam dare veriti non ſunt, quemadmodum iſta omnia alibi uberius exponuntur. Unde facile videre licet, non per Suecos ſed Danos ſtetiſſe, quo minus bellum illud repullulans in herba ſtatim ſupprimeretur. Nec omnem compoſitionis ſpem præciderant verba Comitis Schlippenbachii,

bachii,quibus significabat, imminentia Danorum fata postulare, ut juxta habeant,sive ipsorum Rex *Carolus* sive *Fridericus* vel *Christianus* vocaretur. Erant enim ex eorum numero,quibus mentes cum quibus nobis negotium intercedit,tentare & elicere aliquid in nostrum commodum solemus. Et sane nescio an causam habeant Suecis exprobrandi talia Schlippenbachii verba Dani,cum in literis ad urbem Stralsundensem anno quinquagesimo septimo exaratis ipsemet Rex Daniæ, dum cives istos ad defectionem sollicitaret,in eandem sententiam scripserit,optime illos saluti urbis suæ consulturos, si deserto Rege Sueciæ, infracto nunc & viribus infirmo,suæ se protectioni submitterent. Qualia etiam per Ducatus Bremensem & Verdensem publicè affixis programmatis sparsa fuerunt.Et sane longe diversa sunt, publicis Regem literis aut diplomatibus aliquid profiteri, & Ministrum explorandi aliorum animos causa per discursum obiter tale quid injicere. Quanquam in tota hac materia Oratoribus nostris memoria parùm favisse videatur. Quæ enim à Danis publicè circa isthanc rem scripta extant,confitentur,Serenissimum Regem Sueciæ valde prolixum fuisse in enarrandis suæ expeditionis causis; Nostri verò, nullas fuisse prolatas, cùm nullæ adfuerint, præter supra allegata verba. Quæ cum nequaquam Serenissimus Rex,sed ejus Commissarius inter sermocinandum protulerit, non sane apparet, quomodo ista sibi invicem non contradicant. Tanti est à memoria non destitui, siquidem non impingere velis in formulam artis, in qua alias Dani satis ingeniosos se exhibere solent.

Antequam autem ad laudes, quibus inclytam Fæderatorum Rempublicam onerant Oratores nostri descendamus, unum atque alterum discutiendum prius venit. Cum enim hujus Status animos non leviter exulcerare posset, quod Dani cum Austriacis tàm stricta fædera inierint, & utSuecis saltim nocerent,ditiones suas ipsorum libidini exponere non dubitarint; ad eximendum istum scrupulum singulare aliquod emplastrum applicant Oratores nostri, ut sub adventum suum in Belgicam auguria quis capere queat, non minus hos in morbis animi tollendis, quàm alium in corporis felices fore. Sane enim nisi plus dexteritatis in posterum adhibebunt,nequidquam Æsculapii delubra Gallo fumabunt. Quam frivolum enim est istud, Regem Daniæ ad Austriacorum iisque Confœderatorum copias in Jutiam evocandas fuisse coactum, non quod de auxiliis Belgicis omnino desperaret, sed quod per anni tempus bonam hujus Reipublicæ intentionem facile impediri posse non ignoraret. Nequiisse autem istud ipsum cum Republica hac prius communicari, quod in istis locis nemo Ministrorum Belgicorum adfuerit,& omnia in-

insuper itinera ita fuerint intuta reddita, ut nec literis nec nunciis huc penetrare liceret. At enim si Danis sine periculo ad Reges Hungariæ & Poloniæ, ut & Electorem Brandeburgicum Legatos mittere integrum erat, ut nostri Oratores factum innuunt; cur quæso non eadem opera in Belgium scribi poterat, præsertim cum duo tunc temporis Ministri Danici Hagæ Comitis degerent. Et qua fronte dici potest, Fæderatos Belgas in iis locis Ministros nullos habuisse, unde auxilia petebant Dani, cum & apud Regem Poloniæ & Electorem Brandeburgicum tunc temporis tales fuisse constet. Sed aliud est, quod verbis hisce velare & obscurare conantur Oratores nostri. Scilicet dissimulare volunt perfidiam suam, quam statim post pacem Rochildensem meditabantur, agitatis cum domo Austriaca, Rege Poloniæ & Electore Brandeburgico fœderibus, ut conjunctis viribus Suecos denuo aggrederentur, quicquid circa eductionem exercitus eorum è Dania fieret. Quod fædus cum maximè in fraudem rei Euangelicæ cedat, ejus facti invidiam per necessitatem à se conantur amoliri, quasi tum demum ad societatem illorum expetendam spectaverint, cum inter angustias istas destituerentur. Cum tamen toti orbi constet, jam dum solo in Suecos odio, & fidem datam violandi libidine subactos Danos ejusmodi sese implicuisse fæderibus, quibus quantum in se fuerat, sinceræ Religionis statum penitius adflixerant. Ne tamen parum fidi socii videantur, etiam non requisiti testimonium suum obtrudunt, quasi merito eorum potissimum auxilia implorarint, quos eadem causæ justitia in Suecos armaverat. Ridiculum sane est Danos, quos nec manus nec lingua suffecit ad seipsos defendendos, aliorum causam orare velle. Miseros verò socios! brevi ad restim vobiscum redibit, siquidem Danis uti Patronis volueritis. Sed mira veritatis vis, quæ nescientibus & aliud agentibus Oratoribus nostris excidit. Eandem causam socios suos in Suecos armavisse dicunt. Si enim Regem Poloniæ removeris, quem Rex Sueciæ justissimo bello adoriri fuit coactus, certe non ovum ovo magis simile, quam isti inter se sodales. Quæ Regem Daniæ in Suecos egerant occasio nocendi, spes prædæ, & odium, eadem etiam domum Austriacam & Electorem Brandeburgicum stimularunt. Inde tam facile in fædus coalescere mirum non erat, quos gemina libido in easdem turbas rapiebat. Experiendus erat Suecis fæderatorum istorum impetus, quacunque demum humanitate cum Danis egissent. Nec enim aliud parturiebat insignis ista familiaritas, quæ dum Legati Suedici circa executionem pacis Hafniæ solliciti sunt, inter ministros Austriacos, Polonicos & Danicos intercedebat. Illud verò nimis quam incivile & propudiosum

est,

eſt, quod in ſolemni Ordinum Generalium conſeſſu Oratores noſtri non verentur eructare quæ apertè falſa eſſe in Hollandia cuivis conſtat, quaſi Rex Sueciæ ratificationem Tractatus Elbingenſis in hunc uſque diem exhibere noluerit. Nondum enim tempus iſti actui determinatum effluxerat, cum Hagam Comitis ad Reſidentem Suedicum Inſtrumentum ratificationis mittitur, ſtatim cum alterius partis inſtrumento commutandum, niſi penes fœderatos Belgas mora fuiſſet. Talia dum publice Dani jactare non erubeſcunt, facilè judicare licet, quam parca manu in privatis diſcurſibus veritatem admetiantur.

Nec minus barbaros quoſdam mores redolet, Legatos à Rege venientes in conſeſſu Ordinum Reipubl. de vicino Rege dicere non vereri, nulla omnio promiſſorum Religione ipſum tangi, nec dignum eſſe, cui quiſquam quid fidei tribuat. Scilicet uſque adeo animis Danicæ gentis infixum eſt calumniis & convitiis impudenti & ruſtico prorſus more graſſari, ut ne inter iſtiuſmodi actus gravitatem a talibus abſtinere potuerint, quibus alias viles animæ & generoſitatis incapaces ſolent agnoſci.

Denique dum laudes & gratiarum actiones, quibus ſub finem Orationis ſuæ Belgas mactant Legati Danici, attentius conſidero, illud initio obſervare licet, adulatores ingenio parum valentes dum affectum nimis anxie laborant ſimulare, frequentiſſime eo abſurditatis prolabi, ut pro laudibus ignominiam imprudentes adſpergant. Vinci enim a fortibus viris nunquam probro cuipiam datum fuit : at illa dedecus vulnera afferunt, quæ imbellis & degener manus inflixit. Dum igitur Oratores noſtri dicunt, Belgas Danis junctos tanta vi Suecis reſtitiſſe, ut inde indelebili ac ſempiterna fuerint ignominia cooperti, ſane innuunt tam Belgas quam Danos etiam conjunctis viribus ſumma ope connitentes ignaviſſimos & fœdiſſimos eſſe mortalium. Quæ enim alias ratio foret, cur tantæ Suecis ſit turpitudini, hos ipſis repugnare auſos fuiſſe, niſi tales eoſdem agnoſcerent, quibus cum fortibus viris negotium habere erubeſcendum ſit? Verum non ita accurate erant concinnandæ laudes, quas non niſi in ſummis labiis natas ipſemet Sereniſſimus Daniæ Rex non obſcure ſignificat. Dum enim publicis literis Belgas hujus belli autores & incentores ab initio fuiſſe profiteri non dubitat, quod, quomodocunque res ceciderit, infeliciſſimum ſane ſibi fuiſſe ipſi Dani agnoſcunt; in proclivi eſt judicare, quam candido pectore encomium ſervatori ſuo cantet anima ægre ſervata ex aquis extractus, a quo in eas fuerat præcipitatus. Deinde & illud mirari ſubit, quam repugnanti motui hominum affectus ſint obnoxii. Utut enim conſervatio Regni Danici non minimam partem fœ-

derato

derato Belgio, juxta Oratorum nostrorum confessionem, in acceptis ferenda sit, & Belgæ haut vulgari beneficio Danos sibi devinxerint: iidem tamen si ad explendum in Suecios furorem pecunias amplius subministrare, bellum suis sumtibus ulterius sustinere, ac præcipuis interea commerciis non sine maximo suorum damno ferias indicere abnuerint, perfidi statim audient & proditores, qui nunc Statores, & tantū non Joves Optumi Maxumi cluent. Nec calumniandi causa isthæc dicuntur, sed quod ejus rei non ita pridem iidem homines specimen ediderint. Cum anni elapsi Mense Majo inter Ministros Galliæ, Angliæ, & Fæderati Belgii convenisset de modo componendi bellum Septentrionis; Ministri vero Danici Regi suo per istud non satisfactum putarent, ausus est eorum quidam Regi suo, & lingua quidem patria scribere, Rempublicam Fæderati Belgii perfidè & proditoriè cum ipso agere. Idem & in posterum experientur Belgæ, si habitâ justitia & æquitatis ratione furori ipsorum amplius quousque ipsis lubitum velificari recusaverint. Nam insipidæ illæ verborum ampullæ, non esse populum, apud quem beneficium melius quam apud Danos collocare queant, nihil aliud arguunt, quam stolidam Danorum vanitatem, quos si alii laudatores deficiant, sibi ipsis encomium canere non piget.

Sed cordatiores sunt Belgæ, quam ut verbis se fascinari patiantur, nec à Danis demum quid sibi expediat, discere necessum habent. Ut enim ipsorum forsitan interest, Daniam non omninò opprimi; ita dudum est quod deprehenderunt, consilia Austriaco-Hispanica, quibus Danorum insania tam sedulò ancillatur, eò unicè tendere, ut Rempubl. hanc bellis non necessariis atterant, & omnium odiis exponant, quò ab Evangelicis deserta inter infidas aliorum societates antiquo jugo iterum succedat.

FINIS.

Errata & omissa.

P. 5. *l.* 15. *post* possederant *adde* amissione *p.* 7. *l.* 3. *pro* Jerne *leg.* Zerne *ib. l.* 14. *l. Residentem, ib. l.* 31. *leg adprobavit.*

eptis fe-
: iidem
inistra-
a com-
,perfidi
Optu-
od ejus
i elapsi
conve-
Danici
mRegi
Belgii
rientur
mplius
æ ver-
quam
Dano-
m ca-

r, nec
im ip-
um est
orum
bellis
gelicis
t.

erne